

pendere sibi possunt absentes amici, puto et me debere tibi, et mihi debere a te. Audax sum, sed non mendax, et in hanc audaciam me compulit tuæ sublimitatis dignatio. Quando enim id præsumerem ego? quando tantam tantillus, et a tanto gratiam sperare auderem? Et si ego retribuere non potero, non est mortuus retributor meus, quia Dominus retribuet pro me. Dominus, inquam, in quo et pro quo tanta nos deuotione complecteris, tanta stringis affectione. Benedictus sanctus angelus tuus, qui pio pectori tuo id suggestit. Benedictus Deus noster qui persuasit. Glorior priuilegio amoris tui. Refectus sum per charissimum fratrem nostrum filium tuum Guillelmum de abundantia suauitatis pectoris tui. Refectus sum per nuncium tuum, reffectus sum per litteras tuas, reffectus sum per omnes, qui a te vsque ad nos vel per nos euadere possunt. Vtinam mihi datum esset desuper hæc dicere, non dictare, vt me potius loquens quam scribens aperire valerem. Pro certo acceptior esset sermo viuus, quam scriptus: efficacior lingua, quam litera. Oculi quippe loquentis fidem facerent dictis, et melius affectum vultus exprimeret quam digitus. Sed quia illud absens per me non possum, per litteras quæ secundum in huiusmodi locum obtinent, satisfacio quantum possum. Nuncium tuum cum magna exultatione vidimus, et negocium tuum quantumcunque potuimus muniuimus ad Dominum Papam <sup>1)</sup>. De secreto autem verbo illo quod tam ardentem ascendit in cor tuum, respondebit tibi ex parte nostra Guillelmus tuus, tuus inquam, et specialiter tuus in visceribus Jesu Christi. Posui enim verba mea in ore eius, et ipsum audies tanquam me in negotio isto. Heu, auellor, abripior, non licet vltra. Auocat diei malitia, reuocat turba superuenientium, et epistolam potius rumpunt quam finiunt. Sed nunquid quia faciunt vt paucis scribam, facere poterunt vt parum diligam? Actum excludunt a me non affectum: ille semper tecum est, qui sui iuris est: et tecum erit quandiu fuerit, omni mihi amicitia colende, pie, ac reuerendissime pater.

38.

1153 d. 28 Nov.

Påfv. ANASTASIUS IV:s skrifvelse till Konung Sverker I och Sveriges förnämste män med uppmaning att förblifva vid Romerska kyrkans lära, iakttaga de stadgar Cardinalen NICOLAUS ALBANESENSIS under sitt vistande i Sverige gifvit om kyrkans frihet, äktenskapet, vapnens afläggande. m. m. samt framhärda i den gudaktighet de begynt och till bevis på sin tillgifvenhet erlægga af sin jord St Peterspenningen, hvilken Biskoparne till Påfven öfversända.

B. 3: 20. b.

ANASTASIUS episcopus seruus seruorum dei. Carissimis in christo filiis. S. Regi et vniuersis proceribus swechie. salutem et apostolicam benedictionem

<sup>1)</sup> S. Bernardi Epist. CCLXXX. till Påfven (EUGENIUS IV) innehåller, bland mycket annat, blott följande ord om Årke-Bisk. Eskils ärende: ... De negotio domini Lundensis reducimus vobis ad memoriam. Causa dilationis sublata de medio, non est nisi vt fiat quod faciendum erat.

cionem Inter cetera in quibus diuina pietas ministerium sacrosancte Romane cui auctore deo presidemus ecclesie honorificare dignatur. Nichil est propter quod in graciaram accionem et creatoris laudem nostra mens propensius excitetur quam si per nos aut fratres nostros ecclesie sue terminos dilatari concedat. et diuini semen eloquij per prouisionem sedis apostolice gratum sibi amet <sup>1)</sup> fructum afferre Quod nimirum quia in aduentu venerabilis fratris nostri Nicolai episcopi albanensis ad uos per omnipotentis dei graciaram conspicimus adimpletum, auctori omnium honorum graciaram acciones exsoluimus et tam circa nos quam circa uos ipsius beneficium omnimodis commendamus. qui de tenebris et umbra mortis uos uocauit in admirabile lumen suum. et cum essetis mortui peccato. conuiuificauit uos christo. Rogamus autem ut qui cepit in uobis opus bonum perficiat. et ita semper doctrine apostolice uos faciat adherere ita uos in corpore christi quod est ecclesia per compagem caritatis solidet et confirmet ut et quod fideliter credidistis ad salutem animarum uestrarum studeatis iugiter adimplere. et post depositionem huius corruptibilis tabernaculi ueniente ad iudicium domino. occurrere valeatis ei cum omnibus sanctis in uirum perfectum in mensuram etatis plenitudinis christi; quod pro certo credimus deo faciente futurum si doctrinam apostolicam et predicacionem supradicti fratris nostri ante oculos mentis semper habentes studueritis factores esse uerbi et non auditores tantum fallentes uosmetipsos Si quis enim. sicut ait apostolus. auditor est uerbi et non factor. hic assimilabitur uiro consideranti uultum natiuitatis sue in speculo. Considerauit enim se et abiit et continuo oblitus est qualis fuerit. Ne igitur de uobis hoc accidat. monemus uos et exhortamur in domino quatenus per eundem fratrem nostrum ymbre sacri eloquij irrigati fructum uite facere studeatis et cogitantes apud uos qualiter cum fueritis aliquando tenebre nunc sitis lux in domino. que sursum sunt sapiatis. non que super terram. et per uerum noë ac ministros ipsius ab inundacione diluuij in archam ecclesie congregati precepta dominica et prefati fratris nostri statuta. de libertate ecclesiarum. matrimonio. <sup>2)</sup> armis non portandis et aliis ad salutem populi spectantibus firmiter obseruetis Cernite pereuncia extra arche ambitum animalia. et in ea collecti immensas gracias exsoluite collectori et considerate apud uos benignitatem ipsius qui ut redimeret de manu inimici et de regionibus congregaret non despexit pro uobis cum adhuc peccatores essetis. uestiri carne. turpari cruce. multari morte. Et quoniam uos gratuita bonitate sua filios apostolorum et corporis sui membra constituit in eiusdem

1) Detta ord är så tvetydigt skrifvet, se Tab. 1. n. 1, att det äfven skulle kunna läsas: donet.  
2) Förkortningen mrio se Tab. 1. n. 1. är väl svårtydig, men uttrycker icke uestrarum, som den läses i K. d. 453.

corporis vnione ac fidei catholice veritate immobiliter perdurate. Veneramini toto studio sicut incepistis matrem omnium fidelium sacrosanctam Romanam ecclesiam. et qui longa terrarum intercapedine ab ea distatis deuotione ac pio desiderio presentes ei semper estote Firmum quidem habemus et indubitabile quia si usque ad finem in obediencia eius et subieccione manseritis et statuti prefati fratris nostri et doctrinam apostolicam studueritis adimplere. de terrenis ad celestia. et de caducis ac transitoriis ad eterna semperque manencia pertingetis Censum autem quem in argumentum vestre deuotionis beato petro de terris vestris persoluendum annis singulis statuistis. fratribus nostris episcopis tribui faciatis. vt per eos sedi apostolice transmitatur. Quem profecto non tam ad nostram vtilitatem quam ad salutem animarum uestrarum exigimus dum vos interne deuotionis obsequium beati petri cupimus patrociniū optinere. Datum lateran. IIII:to kalendas decembris.

39.

1156 — 1178.

Ärke-Bisk. Eskills Gåfvobref till Canikerna i Lund på all tionde af deras prebenden och hemman.

B. 1: 37.

Priuilegium Eskilli Archiepiscopi super decimis Canonicorum.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Ego eskillus. sancte lundensis ecclesie archiepiscopus. Apostolice sedis legatus. Dacie et suecie primas. Dilectis filiis sancti laurencii canonicis. decimas omnes. tam de terris prebendarum eorum ac beneficiorum quam et mansionum. perpetuo possidendas. pietatis intuitu contulimus. profecto dignum ducentes. vt matricis ecclesie filiis succurratur. quorum rei familiaris indigencia maior. preter quam decet. esse dinoscitur. Hoc enim humanitatis creat racio. et ordinata exigit caritas. vt sorti debiliori. propensius consulatur. Vt igitur hec rata nostra constitucio de cetero habeatur. ex auctoritate dei omnipotentis et nostra. anathemate eum ferimus. qui ex hac constitucione aliquid subtrahere. diminuere seu anichilare. attrectauerit. Sitque pars eius cum hiis qui dixerunt domino deo Recede a nobis. scienciam viarum tuarum nolumus Qui autem hec. stabilia et robore plena fore studuerit. benedictionem in presenti a domino desuper accipiat. et post presencium curricula. deum deorum in syon aspiciat. Valet.